

176

358, 2



DIATRIBARUM
DOMESTICARUM
DECAS V.

QUAM

D. O. M. A.

PERMISSU ET CONSENSU

Amplissimi Jctorum Ordinis
in Academia Salana,

PRÆSIDE

JOHANNESCHÖTERO,
OSTERURBGO-MARCHICO,

DEFENDERE CONABITUR

JOHANNES HIERONYMUS J M H S S S
NORIMBERGENSIS.

Ipsis Idib. Novembr.

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

ANNO CHRISTI

1614.



Strenuo, Magnifico, ac Nobilissimo Viro

DN. CAROLO

**Im Hoff / vff Otta-
ringen vnd Altenberg / Sac. Cæs.**

Majest. Consiliario meritissimo, Dn. & Pa-
truo suo omni observantia cultu pro-
sequendo.

Viro item

Nobilissimo & Amplissimo

D. N. TOBIÆ HALLERO

*ab Hallerstein cœnobii, quod Dva Clara sacrum, Pra-
fecto dignissimo, cognato & affini suo plurimum
colendo & c.*

Monumentum hoc debita
observantia & gratitudinis, ponit &
consecrat

*Johann. Hieronymus
Im Hoff / Noriberg. Resp.*

*Nobili, Humanissimo, Ornatissimo, & Doctissimo
Juveni-viro*

**D N. JOHANNI
HIERONYMOSS HOS**

sub Themidos pugnanti vexil-

lo feliciter gratulatur infra scriptus



*El studium expressere tuum duo Nomi-
na: quorum*

*Unum stemma dedit, sancta sed alterum
Aqua.*

Hinc audis pietatis Amans: sed diceris inde

Splendida terreni gemma, decusq; Soli.

Ergò Felicem meritò te predicat omnis,

Cùm teneas quicquid Terra Polusq; tenet.

Acclamo: benè cedat opus quodcunq; receptas,

Sentiat ut fructus Patria terratuos.

M. Joh. Donner.

Quod tua multiplici follers meditatio curæ
Collegit patula cerebri sapientis in aula,

Raptum

Raptum ex ore virum docto, scriptisq; probatis,
Promere mens hodie est, & lucis ferre sub auras.
Exultas Norberga, poli per sidera nota,
Artium & ingenium mater? Tibi plurima proles
Mercurii haud tantum, sed Apollinis atq; sororum
Musarum studio messem succrescit in amplam.



M. Daniel Stablius.

Quem concitata Pegasus unguam
Fontem beatum mellifluis aquis
Produxit, et Musis sacratum
Turba colit Clavis dicata.

Hunc tu: vireti, flos generosior
Novem sororum prae pete cogitas
Passu, Jehovah prosperante,
Et vigili superare nisi.

Virtute maeste hac! maeste propagine
Ansuq; tali: scilicet in doles
Spectata vestigat parentis
Nobilis aequiparare facta.

Christophorus Talisch.



DIATRIBARUM

DOMESTICARUM

DECAS QUINTA.

RESPONDENTE

JOHANNES

HIERONYMO

MDSS/NORIMBER-

GENSI.

QUESTIO I.

An ad signandum testamentum strictè requiratur annulus?



Uanta est ultima voluntatis libertas, l. 1. C. de SS. Eccl. l. 32. de her. inst. & authoritas, Nov. 22. c. 2. l. 50. inf. de her. pet. l. 13. inf. C. de usufr. tanta etiam diligentia ad custodiendam ejusdem sinceritatem à prudentibus Romanis est adhibita, §. sed his omnibus. s. Inst. de test. ord. ne quid falsitatis incurreret, l. ult. vers. cum enim C. de fideicom. Hinc testandi unus contextus, l.



21. §. fin. qui test. fac. poss. hinc septenarius testium numerus, l. 12. C. de testam. hinc eorum subscriptiones & signa, l. 22. §. 4. ff. d. t. & alia testamentorum solennitates adeo exacte observanda, ut una omissa totum rueret testamentum: quae diligens observatio merito vocatur nimia subtilitas in d. l. ult. C. de fideic. & misera diligentia, l. penult. §. ult. de leg. 2. Quod ipsum ansam praebuit Dd. ut quererent: Utrum signatio testium Annulo duntaxat fieri debeat, an verò aliud quodvis signum sufficiat? In posteriorem hanc problematis partem multi inclinant, nos in priorem sumus proniores, eamque probamus: Quandocumque aliquid requiritur pro forma, per aequipollens non potest expediri, l. 10. de lib. & post. qua propositione alibi utuntur adversarii nostri. Atqui annulus in subsignatione testium requiritur ut solennitas & forma. Ergò sine violatione sinceritatis omitti non potest. In assumpto latet *περὶ νόμῳ*, ideoque illud probamus. I. Et primum quidem in subsidium provocamus Imp. nostrum, qui postquam in §. 3. de test. ord. dixerat, signa seu signacula testium requiri, juxta l. 11 de injust. rupt. l. 20. de V. & P. S. l. 7. de bon. poss. sec. tab. l. ult. c. eod. l. 30. C. de testam. statim in §. 5. explicat, qualia illa esse debeant, nimirum quae annulo imprimantur, ibi. uno annulo. Quod si quolibet signo id fieri potuisset, utique ejus rei procul dubio aliquam fecisset mentionem. Et licet hoc largiamur, quod saepenumero quaedam exempli gratia ad declarandam regulam proferantur, quae tamen reliqua minimè excludant, l. 30. §. fin. de dam. inf. l. 1. §. 25. unde vi: tamen quò minus id in nostro hoc quaesito admittamus movemur, quod neque additur particula *VELUTI*, quae exempli est significativa, l. 2. inf. de reb. cred. §. 7. J. de mand. neque ex ullo textu juris monstrari potest, quod alterius etiam signi impressio sufficiat.

Tam

Tam diu igitur explicationi Justiniane a standum censemus, donec alia legibus fundata proferatur. I. I. Quin & antiquiorem Justiniano hujus rei habemus testem Ulp. in l. 22. §. 5. qui test. fac. poss. qui quasi subodoratus hodiernam litem, ex homonymia vocabulorum SIGNI & SIGNACULI metueudam, querit, signum illud an annulo tantum sit imprimendum, an verò sufficiat quodlibet impressum? Rationem dubitandi desumit ex eo, quod variè signent homines. Sed respondet, magis esse ut tantum annulo quis possit signare, dum tamen habeat *χρῆμα*. Textus correctionem, quam ipse Wesenbecius ad §. ultim. J. de vulg. subst. tantoperè avertatur, admittere nec possumus nec debemus, quia ultima responsi verba, dum tamen habeat & c. referuntur aut ad ipsum testem, aut ad signum quodlibet, aut ad annulum. Non ad ipsum testem (quanquā hoc videmus alicui placere) quia absurdum esset, ipsum habere formam, insculptamq; signi imaginem in se; aut si habet, certè habet beneficio annuli vel alterius cujusdam impressi; de quo adhuc litigant. Non ad aliud impressum, quia illius nec in thesi, nec in apodosi fit mentio, quod tamen requirebant verba, NON TANTUM. Melius ergo est, ut ea referamus ad proximè precedentem Annuli voculam, & sic affirmativam lectionem retineamus. Porro nec sententiam illorum probare possumus, qui textum nostrum accipiunt, de eo teste, qui annulum & aliud signum simul habet, & hunc annulo tantum signare posse statuunt. Quæ enim est ratio, quod hoc demum casu potius signare debeat annulo, quam ubi aliud saltem impressum habet? nulla sanè alia dari poterit, quàm quod annulus certa de causa requiratur ad consignationem testamenti. Imò propterea in hoc aliquid remissum est, ut in defectu annuli proprii, vel

alieno vel ipsius etiam testatoris signare possint testes, ut de-
 monstratur, illud alio modo fieri non posse, d. l. 22. §. 2. At qua-
 ris de ratione decidendi, cur igitur Ulpianus pro annulo re-
 sponderit? Respondemus, rationem fuisse non esse dubium,
 licet illa à nobis non possit investigari, l. 20. de Ll, tentabi-
 mus tamen. Diximus in testamentis sub litem & miseram
 diligentiam fuisse adhibitam, ne quid falsitatis committere-
 tur, quo minus suprema hominum iudicia exitum haberent,
 l. 5. testam. quemadm. ap. l. 1. pr. Si quis omiss. caus. test. Hinc li-
 cet alias ad veritatis inquisitionem sufficerent duo testes, l.
 12. de testib. ad testamentum tamen requirebantur septem, l.
 ult. C. de fideicom. cuius rei rationem alii in peculiari vi & e-
 nergia septenarii numeri positam esse statuunt, videatur
 Dauth. de testam. n. 420. Dan. lib. 2. Eth. Christ. c. 10. Dn. A-
 rum. exerc. 7. th. 10. alii verò in veteri mancipatione, Coler.
 part. 1. disp. 7. corol. 2. idq; forte verius est. Quid si igitur di-
 ceremus, annulum propterea fuisse adhibitum, ut esset indi-
 cium sinceræ & perfectæ fidei. Annulum enim cives Romani
 (qui soli ad testamentum admittebantur) gestabant aureum,
 eog; à libertis, qui argenteum, & à servis, qui ferreum habe-
 bant, dignoscebantur Isid. lib. 19. Etymol. c. 31. Gædd. ad l. 14. in
 f. de V. S. Unde etiam credibile est, servum, de quo loquitur
 Imp. in §. sed cum. I. de testam. ord. & Hadrianus in l. 1. C. eod.
 ex eo fuisse liberi loco habitum, quod annulum aureum in si-
 gnando testamento adhibuerit, ut apparet ex verbo SIGNA-
 RETUR, & SIGNABATUR. Quemadmodum igitur te-
 stes non potuerunt esse nisi cives Romani: ita etiam non po-
 tuit adhiberi signum aliud, nisi quod civium Romanorum es-
 set proprium, ut hac ratione ostenderent, se verè esse liberos
 & cives Romanos, simul etiam ex auri puritate Magir. libr. 5.

pbyf.


phys. c. 1. n. 30. & annuli perfectissima figura, Arist. lib. 2. de
 cœl. c. 4. text. 23. admonerentur de sinceritate & perfectione
 fidei. Quæ ratio si displicet, aliam dabit Duaren. in tit. ff. qui
 test. fac. poss. c. de testam. in script. pag. (mibi) 431. aliam Cu-
 jac. (quæ tamen ferè cum nostra coincidit) libr. 14. obs. c. 11.
 III. Postremò annuli impressionem esse de solennitate testa-
 menti ita evincimus: Si testamentum corrumpitur quotiescunque
 testis non signavit vel suo vel alieno annulo, certum est, quod
 necessariò ad testamenti constitutionem & perfectionem
 requiratur. At prius est verum per l. 12. pr. C. de testamen.
 Ergò posterius sua sponte subsequitur. Atque id ita esse didi-
 cimus ex conjunctione testium & annuli ibidem facta. Primi-
 pili nostri sunt Duar. & Cujac. dd. ll. Dauth, ad l. 22. de testa-
 ment. num. 12. Gilcken in l. 12. C. de testament. num. 5. Vigl. ad
 §. I. eod. Hackelman. ill. quæst. disp. 16. th. 10. Heig. ad §. 3. I. de
 test. Förster. disp. 12. th. 7. Reufner in tr. de testament. p. 3. c.
 27. num. 6. & 7. Cramer. disput. 11. th. 22. Quibus contradicunt
 Connan. 9. com. 2. num. 3. Hotom. 1. obs. 21. Don. 6. comm. 8. Ant.
 Matth. ad §. possunt. I. de test. & disput. 8. thes. 6. Petr.
 Gregor. lib. 42. Syntagmat. c. 4. num. 3. Vult. & Wesenb. in d.
 §. possunt. Treutl. vol. 2. disp. 10. th. 5. lit. E. Bocer. lib. 1. de bello
 & Duel. c. 24. n. 7. Bronchorst. 2. miscel. ass. 16. Gerhard.

dec. 7. q. 3. Marcus Lycklam. lib. 2. membr.

Eclog. 3. & lib. 7. Eclog. 34.

Hœnon. disp. 7.

th. 7.



QUÆSTIO II.

An in testamento Militis requiratur heredis institutio?

Magno beneficio milites afficiunt Rempub. dum eam ab omni bellorum necessitate defendunt, l. 31. C. de locat. à malo tuentur, l. 1. §. fin. de test. milit. utilitatibus publicis occupantur, l. 15. C. de re milit. lib. 12. patriam parentesq; preliis atque vulneribus salvant, l. 14. C. de advoc. divers. judicior. pro iis non tantum multa pericula, l. unic. de bon. poss. ex test. mil. sed & ipsam mortem subeunt, l. 18. de excus. tut. in f. pr. J. eod. justum igitur fuit, ut illis recompensationis loco certa indulgerentur beneficia, quibus tam in actibus inter vivos, quam in ultimis elogiis gauderent, l. 25. §. 11. de her. pet. l. 26. inf. de testam. milit. Et quia ob strepitum armorum leges audire non possunt, ut Cajus Marius dixerat, teste Val. Max. lib. 5. c. 2. l. ult. pr. C. de jure delib. ob simplicitatem armatae militiae, l. 1. C. de Jur. & fact. ignor. diligens legum observantia in primis circa testamenta ab Imperatoribus eis est remissa. l. 5. pr. de test. mil. Unde multa possunt, quæ paganis non licent de quibus videantur Petr. Gregor. in Syntagm. Jur. lib. 42. c. 6. & Don. lib. 6. com. c. 28. pr. Bocer. lib. 1. de bello. c. 18. & seqq. An autem ipsis hoc quoq; sit indultum, ut testamentum possint condere sine heredis institutione, dubio non caret. Nos negativam ut communioem, ita & verioem esse statuimus. idq; non sine fundamentis, I. Sine quo nihil in testamento scriptum valet, nullum testamentum subsistit, nec tabula testamenti intelliguntur, illud absq; omni dubio, ita ad constitutionem testamenti spectabit, ut ab eo omnino abesse nequeat.

queat. At hæc omnia de heredis institutione totidem verbis dicuntur in l. 1. §. final. de V. & P. S. l. 3. de his quæ in test. del. §. final. de jur. codicil. Ergò testamentum sine illa cogitari, nedum existere, non poterit. Nec quicquam juvat, si excipias, illa omnia intelligi debere de testamento pagano. Quæ enim ratione id nobis persuadebis? An quia verbum Testamenti simpliciter positum accipiendum sit in potiori significatione? frustra es, testamentum enim militare æquè est testamentum atque paganum, cum & ipsi competat definitio Modestini in l. 1. qui test. fac. poss. proposita: Sic ergò inferimus: Generale verbum generaliter est accipiendum, ita ut omnes in se contineat species, l. 23. de S. M. P. At in allegatis legibus generale habetur Testamenti verbum, nec ulla addita est restrictio. Ergo. II. Deinde ut testamentum sit testamentum absque dubio forma efficit, argumen. l. 9. §. 3. ad exhib. Arist. 1. phys. c. 7. t. 69. & 2. phys. c. 13. text. 2. & lib. 2. de generat. c. 7. text. 51. Forma autem ut officio suo perfungatur, præsupponit materiam, Aristot. d. lib. 2. phys. c. 1. & l. 7. metaph. c. 4. lib. 2. de part. animal. c. 1. Ant. Ruvio Rodens. lib. 1. phys. tr. 2. q. 1. quæ nulla est alia, quàm heredis institutio, ut contra Dauth. de testament. num. 272. vult Turamin. de exæquat. legat. c. 3. numer. 16. & sequentib. & pluribus ostendit Anton. Coler. part. 1. disp. 9. monit. 1. Quemadmodum igitur rerum natura constitutionibus Principum non potest immutari, l. 2. in f. de usufruct. earum rerum: ita nec testamentum constitui sine materia. Atque hoc est quod dicitur in §. ante heredis. f. de leg. quod heredis institutio sit veluti caput & fundamentum totius testamenti. Detur ergò ædificium sine basi, & dabitur testamentum sine heredis institutione.

tione. III. Hinc ulterius ita concludimus: Solennitates testamenti pagani militibus sunt remissa. Atqui heredis institutio non pertinet ad solennitates, hæ enim ad formam, illa verò ad materiam spectat. Ergò heredis institutio non est remissa. IV. Ostendunt hoc omnes leges, quæ respectu heredis institutionis faciunt discrimen inter codicillos & testamentum, l. 7. C. de Codic. l. 14. C. de testament. d. l. ultima de jur. Codicil. V. Quia hoc beneficium est principale, l. 1. pr. de milit. testamen. cujus interpretatio est penes ipsum Principem, l. 43. princip. de V. & P. S. l. 191. de R. J. Cum igitur reliquæ beneficii species passim sint relatæ in legibus, nec ulla hujus rei fiat mentio, regulæ stamus, quod enim mutatum non est, esse stare prohibeatur: l. 27. C. de testament. l. 32. in f. C. de appellat. Hinc denique est, quod miles ex ea parte qua heredem nullum instituit intestatus dicitur, l. 6. de milit. testament. & ex parte heredem scribit, propterea quia pro parte testatus, pro parte verò intestatus decedere potest, l. 19. princ. d. t. quo quid clarius dici posset non video. Adde Don. 6. C. com. c. 11. Vult. 1. J. R. 173. n. 52.

Sneid. ad prin. & Borch. ad S. 1. de mil. testam.

Dn. Arum. exerc. 8 thes. 1. princ. Diss.

Vigl. in S. sed hæc num. 4.

Inst. de exher.

libr.



QUÆSTIO III.

An damnati ad mortem hodie testandi jus habeant?

Jure Digestorum damnati ad ferrum vel aliam mortem civilem testamentum facere non possunt, l. 8. §. ult. qui test. fac. poss. nisi à sententia appellaverint, & pendente appellatione testati atq; ita mortui fuerint, l. 13. in f. d. t. integri enim status decedunt, qui in reatu obeunt, & crimen mortalitate tollitur l. ult. ad l. Jul. majest. l. 2. c. si reus vel accus. mort. fuer. Ratio autem hujus interdictionis sita est, non tantum in publicatione bonorum, sed & vel maxime in eo, quod libertatem amittebant & pœna servi efficiebantur, unde etiam propter hanc ipsam causam testamentum ante ritè factum irritum fieri dicitur in l. 6. §. 6. de injust. rupt. Quod an de jure Codicis & novellarum adhuc verum sit, sunt qui dubitant? Nos intrepide affirmamus, idq; sic ostendimus. I. Durantibus & non mutatis causis juris durat ipsum jus arg. l. 32. §. fi. C. de appell. At causæ juris in Digestis hac de re traditi durant adhuc in Codice & Novellis. Ergò. Minor statim probabitur. Damnati ad mortem, civitatem & libertatem perdunt, l. 29. de pœn. §. 1. Inst. de cap. min. nec hoc in codice correctum, l. 24. C. de don. int. vir. & uxor. nec in Novellis sublatum Nov. 22. c. 8. quo ad ultimum supplicium. Hæc autem una est causa, cur damnati non poterant testari pr. Inst. quib. non est perm. fac. test. cui altera per consequentiam accedebat, quod non habebant bona, quæ fisco applicabantur, & sic nec liberam de iis disponendi facultatem, quæ utiq; in omni testamento requiritur, l. 1. C. de S. S. Eccl. §. 10. Inst. qui ex caus. man. non lic. l. 32. de her. inst.

Quæ etiam est ratio, quod filiusfam. nō potest testari, l. 6. pr. qui test. fac. poss. l. 3. in f. C. eod. quia licet vivo patre quodammodo dominus sit bonorum, tamen liberam eorundem administrationem eo demum mortuo consequitur l. 11. de lib. & post. Quantūvis igitur hodierno jure bona non publicentur juxta Auth. Bona. C. de bon. proscript. tamen disponendi facultas reo est adempta, dum bona hæc deferuntur descendentibus vel ascendentibus, non judicio ipsius malefici, sed sola legis auctoritate. Nov. 134. c. si. idq. non tam in favorem ipsius rei, quàm ejus heredum, ne alieni criminis infortunio adstringantur d. l. 24. C. de don. int. vir. & ux. l. 26. de pœn. l. 22. C. eod. introductum esse procul dubio est: idq. vel inde apparet, quod nominatis ibidem heredibus non existentibus, fiscus succedat, nec relinquatur in arbitrio Rei, cui bona relinquere velit. II. Quia nec habent testamenti factionem passivam, unde quicquid illis relinquatur, pro non scripto habetur, l. 25. §. 3. de acquir. her. l. 3. de his qua pro non scrip. qua tamen longè facilius conceditur quàm activa, l. 16. pr. & §. 1. qui testam. fac. poss. Si igitur id non inest, quod magis inesse videtur: multò minus inerit, quod minus inesse potest. Faciant nobiscum Gail. lib. 1. de pace publ. c. 29. n. 8. Cujac. in l. 8. qui test. fac. poss. Donel. lib. 6. com. c. 16. Vasq. illustr. cont. lib. 3. c. 96. n. 3. Dauth. de testa. n. 209. Ant. Fab. de err. prag. deca. 73. Dn. Arum. exerc. 7 th. 7. & disp. ff. 17. th. 5. Ferret. in d. l. 8. n. 10. Cram. disp. 11. thes. 17. Diff. Wes. in par. ff. qui test. fac. poss. n. 13. Pet. Greg. lib. 42. Syntagm. c. 8. n. 11. Förster. part. 1. disp. 12. th. 14. Hackelm. disp. 16. thes. 4. lit. S. Nebel. disp. 19. th. 2. lit. b. Vigl. in §. sed hæctenus. num. 9. Inst. de mil. testam.

QUÆSTIO IV.

An testamentum, in quo posthumus exheredatur,
sit ipso jure validum?

Hereditas parētum liberis debetur, l. 7. §. 1. unde liber. nara-
li ratione id jubente & suadente l. 7. pr. de bon. damnat. ita
ut vivis adhuc genitoribus quodammodo domini existimen-
tur, l. 11. de lib. & posth. & penē ad propria bona venire videā-
tur, l. 1. §. 12. de success. ed. Magnam ergō oportet esse causam,
ut hac ipsa illis iudicio parentum ope exheredationis adima-
tur non tantum de jure Novellarum Nov. 115. c. 3. sed & codi-
cis l. 28. l. 30. pr. l. 33. §. 1. C. de inoff. test. & Pandectarum d. l. 7.
prin. de bon. damn. l. 14. inf. de lib. & post. ita ut hodie sine ex-
pressa causa mentione, ejusq; probatione efficaciter excludi
non possint d. Nov. 115. Queritur igitur, An posthumus pos-
sit exheredari, ita ut testamentum non valeat? Substitimus
aliquandiu, re tamen ad trutinam veritatis appensa, eam
in affirmativam propendere vidimus. I. Si olim posthu-
mus potuit exheredari, ubi tamen non minus opus fuit cau-
sa expressione, quam hodie, uti ex supradictis apparet: nulla
est ratio cur de jure novo id fieri nequeat. Sed potuit olim l.
14. princ. de lib. & post. Ergō. Ratio connexi est, quia de
posthumo in Novellis ne gry quidem habetur, multò mi-
nus circa eos aliquid immutatur: veteri igitur juri stan-
dum, l. 27. Cod. de testament. l. 32 inf. C. de appellat. donec
de correctione erudiamur. II. Deinde quandocunque
posthumus est institutus vel exheredatus nominatim,
validum est testamentum, & ipso jure subsistit, l. 4. inf.
Cod. de lib. præter. Atqui quando posthumus exbere-

datur nulla causa ingratitude appositā, nominatim exheredatur, ita ut exhereditatio valeat & testamentum sit in suspensō, donec certum sit, an nascatur vel non. Quemadmodū enim tum, quando vivi liberi exheredantur causa nominatim addita, voluntas testatoris valet, donec probetur, an sit vera vel falsa exheredationis causa, item an hereditas adaeatur vel non, l. 20. pr. de bon. possess. contra tab. Ita etiam hic, in primis cum falsa causa habeatur pro nulla & non adjecta, arg. l. 2. de auctor. tut. l. 6. qui satisd. cog. III. Porro hæc etiam est mens ipsius Imp. in d. Nov. 115. c. 3. circa fin. ita enim ait: Si autem HÆC observata non fuerint, nullum exhereditatis liberis præjudicium generari: sed quantum ad institutionem heredum pertinet, testamento evacuato ad parētum hereditatem liberos tanquam ab intestato & c. Perpendatur verbum HÆC, quod vult, ut si nec parentes causas inseruerint, nec insertas heredes probaverint (de his enim duobus membris agunt verba proximè præcedentia) testamentum EVACUETUR & RESCINDATUR, ibi: tanquam in hoc non rescissū. Evacuare est solvere id, quod antea valebat, l. 4. C. de solut. Si ergo hoc testamentum, in quo causæ exheredationis sunt expressæ, debet evacuari & rescindi, utique valuit antea, l. 1. de injust. rupt. privatio enim præsupponit habitum, l. 3. inf. de cap. min. IV. In obscuris & dubiis benignior sententia, & quæ facit ad conservandas ultimas voluntates præferenda, l. 12. de R. J. l. 1. pr. Si quis omis. caus. test. am. At nostra hæc longè est benignior & facit ad custodienda ultima elogia defunctorū: quæ ut exitum habeāt publicè interest, l. 5. test. quemadm. 1p. & posthumo ipsi non nocet, cui ad impugnandum testamentū datur querela inofficiosa. Ergo. Vide Enucl. Don. lib. 6. c. 13. lit. E. V. Quid dicemus, quando exhereditatio fit bona mente, quæ-

admo-

admodum fieri posse diximus Decad. 3, q. 2. in f. per l. 12. §. 1. de bon. libert. l. 18. de lib. & post? Adde Don. d. lib. 6. c. 13. pac. 5. q. 86. Connan. 9. com. 10. Alciat. 4. par. 10. Dn. Arum. exerc. 10. th. 6. Phil. Hænon. disp. 7. th. 16. Duar. ad t. de inoff. test. c. 6. Bocer. class. 5. disp. 26. thes. 33. Diff. Cuja. ad l. 4. de lib. & post. Petr. Gregor. lib. 44. Syntag. c. 3. n. 5. Wes. ad tit. de inoff. test. & Heig. ad §. 1. n. 8. ibid. Vult. in §. 1. de exher. lib. n. 16. & illud Vigl. n. 9. Förster. disp. 12. th. 19.

QUÆSTIO V.

An liberi in conditione positi, sint etiam
in dispositione?

Difficultatem hujus questionis recompensat utilitas, quare nos non pœnitebit, eam pro instituto nostro paucis vtilasse, & pro negativa parte fundamenta subsequētia attulisse. I. Si liberi in conditione hac, si sine liberis positi, essent etiā in dispositione, mutaretur natura conditionis, quæ est, ut nihil disponat. l. 8. si quis omiss. caus. test. ubi qui in conditione dandi seu faciendi positus erat, omissio testamento nihil consequitur, quia scilicet legatarius non fuit, atq; sic ex judicio defuncti nihil petere potest. Sic l. 81. §. 2. de leg. 1. Stichus, qui itidem in conditione comprehendebatur, libertatem non consequitur. Adde l. 1. §. 8. ad l. Falcid. l. 19. pr. quand. dies leg. II. Si liberi hi sunt instituti, tum fideicommissum ipsis relictum est aut verbis expresse, aut tacite fideicommissum inducentibus l. 19. §. 1. ad SC. Treb. Non illud, quod litem habet nullam; non est hoc. Ergo nullo modo. Posterius membrum ita stabilimus: Licet in fideicommissio voluntas testatoris magis, quàm verba, respiciatur. l. 16. C. de fideicom. l. 24. §. 8. de fideic. lib. ita ut solo

nutu interdum relinqui possit, l. 22. C. d. t. l. 21. de leg. 3. tamen
 oportet ut nutus & vox sit talis, ex qua evidenter de volun-
 tate testatoris constet l. 16. de fid. lib. Vide Gothof. ad d. l. 21. At-
 qui ex verbis his, si sine liberis, non constat, testatorem voluif-
 se eis fideicom. relinquere: quin potius contrarium ex iis demō-
 strari potest. Dicta n. cōditio in favorem ipsius fiduciarii be-
 redis est apposta, ne scil. gravetur onere hereditatis simplici-
 ter restituenda. Quod si jam liberi essent in dispositione, non
 tantum simplici fideicommissio, sed duplici gravaretur, & sic
 quod pro eo esset appositum, verteretur in odium, quod fieri nō
 debet l. 30. §. 7. in f. ad l. Falcid. l. 14. pr. de adim. leg. Taceo quā-
 toperè animi liberorum adversus parentem incitarentur, dū
 scirent sibi iudicio patris hereditatem adimi non posse, cum
 tamen potius ad obsequia essent provocandi, l. 35. §. 1. C. de in-
 offic. test. ne animi eorum corrumpantur. l. 14. §. 1. de serv. cor-
 rupt. III. Nititur hæc sententia textibus ad hanc rē expressè
 facientibus, quos videre licet in l. 19. l. 82. de her. inst. l. 114. §. 13
 de leg. 1. l. 16. in f. de V. & P. S. l. 57. §. 1. ad SC. Treb. l. 1. C. de pact
 juncta Auth. Res. C. com. de leg. & Nov. 39. c. 1. Patrocinantur
 nobis Cujas, in l. 85. de her. inst. Gomes. 1. var. resol. c. 3. n. 23. pag
 31. Duar. in t. de condi. inst. c. 5. Don. & Sicha. in d. l. 1. C. de pact
 Gail. lib. 2. obs. 136. Pet. Greg. lib. 42. Syntag. c. 28. n. 29. & ibid.
 allegati Ant. Fab par. 2. Dec. 26. error. pragm. er. 1. 2. 3. 4. & 5.
 Phil. Hæn. disp. 8. th. 7. Wegn. disp. 7. th. 5. lit. E. Joh. Pein par.
 1. disp. 9. th. 17. lit. b. Förster. part. 1. disp. 12. th. 16. Diss. Coras. 2
 miscel. 19. Hottom. ill. quæst. 13. Gædd. in l. 148. n. 5. de
 V. S. Steph. Forcat. in Necyom. Dialog. 50. et
 51. & Fach. lib. 4. controv.
 cap. 51.

QUÆSTIO VI.

An in §. ult. Inst. de vulg. subst. divisio hereditatis sit intelligenda de æqualibus portionibus?

Non formabimus casum prædicti §. qui satis perspicuus est in ipso textu & l. 40. de her. inst. saltem in distributione, ejusq. rationem paucis inquiremus. Distributionem hereditatis, quod concernit, eã inter dominum instituti & ipsum substitutũ equalibus fieri portionib. minimè dubitamus, idq. nobis persuadet l. allegatus §. ult. qui dicit, substitutum in PARTEM admitti, non adjecto, an pars illa sit semissis: an verò totius Assis. Positis igitur simpliciter & indefinite partibus æquales sunt intelligẽda, l. 164. §. 1. de V. S. l. 9. §. 12. de her. inst. l. 19. in f. de leg. 1. l. fin. §. 2. deleg. 2. Quem intellectum non infringit in hoc casu instantia ex d. l. 40. de sumpta, nam illa l. si dextrè intelligatur omninò facit pro hac sententia II. Idẽ probatur exemplo Tiberii Cesaris, qui ita inter se & substitutum sui servi equaliter divisit hereditatem, l. 41. de her. inst. Huic alii obloquuntur statuentes semissem unum soli instituti domino deberi, alterum verò inter hunc & substitutum dividendum esse, & hujus sententia asylum ponũt in d. l. 40. d. t. Verum cum hac ratione antinomia inter hunc & superiores textus oriretur, videndum est, quid ad d. l. 41. afferre commodissimè possit? Qua in re multi quidem ingenio suo usi sunt feliciter tamen nemo (judice Anton. Cont.) quam Cujacius ad d. l. 40. & lib. 17. obs. c. 21. cujus correctionem non possumus hac vice non approbare. Notum est, quod conceptores (ut vocantur in l. 1. §. 12. Cod. de off. præf. præter. Afr.) seu scribe in scribendo usi fuerint notis quibusdam compendiosis, l. 33. ex quibus causis major. ex quibus sæpenumerò dubia

& pu-

Et pugnae textuum oriebantur, quae ratio etiam movit Imperatorem, ut istiusmodi compendia improbari et planè prohibuerit. §. 13. de concept. Digest. Et §. 8. de jur. doc. rat. Cum igitur hac in l. 40. scriptum esset *As*, facile potuit accidere, ut inter utramq; literam ex incuria scribentis punctum irreperet atq; ita Tribonianum moveret, ut notas illas integris literis donando, ut iussus erat, scriberet, *Alter semis*: in primis cum in colligendis legibus compilatores non debuerint cūctari, l. 1. §. ult. C. de V. J. E. Simile exemplum videre est in l. 7. de cap. min. de quo vide Cujac. in not. ad Ulp. tit. 11. §. excepta. Et Dn. Vult. in §. Item finitur n. 2. I. quib. mod. si. tut. Agnoscamus igitur errorē Triboniani, sed et ignoscamus, memores illius: Quod in nullo penitus peccare, divinitatis potius sit, quā humanitatis l. 2. §. 14. C. de V. J. E. juxta illud: Magno operi fas est interdum obrepere somnum. Sic similem errorem factū esse putat in l. 41. ubi legitur *Tiberius*, cū tamen fuerit *Titus*, ut habet Theophilus, vide Vigl. ad d. §. ult. in verb. Idq; *Tiberius*, quē itidem ex confusione notarum *Ti*. et *T*. pro *manasse* ibidē putat doctiss. Giphani. Hanc conjecturam juvat ipse contextus ibi; In hoc casu semisses fient, quomodo? Ita, dicit J. C. ut *As* aequis portionibus dividatur. Hoc n. ipsi erat propositum, ut demonstraret, qua ratione tota hereditas esset dividenda: Jam verò si distributio hac tantū de altero semisse esset accipienda, quid foret de altero? Scilicet ille cederet domino servi instituti, ut putant alii. Sed ubi verba Juliani? ubi conjectura seu ratio id suadens? rimeris verba et syllabas totius legis, nihil invenies. Quin imò si in re plana, conjecturis locus esset, potius eum substituto adjudicarem, pro quo tum verba, tum voluntas ipsius testatoris potius pugnant, quàm pro domino, de quo ne quidē cogitavit. Vide Ant. Fab. l. infr. cit. Postremò demonstrat idem

parti-

particula copulativa ET in i. subseq. 41. posita, qua utramque conjungit, & originem Juris in l. 40. propositi demonstrat. Sequitur Cujas Vult. ad d. §. ult. J. de vulg. subst. Ant. Fab. par. 1. Dec. 33. error. pragm. 7. n. 1. & 2. pag. 472. Georg. Martin. in contrar. non contr. disp. 2. th. 38. Diss. Lyckl. 5. membr. Ecl. 15. Vaco. à Vacu. 6. declar. 83. Govean. 1. var. lect. 6. Duar. ad tit. de V. & S. S. c. 10. Don. 6. com. 24. & ibidem aliter Enucl. lit. L. Connan. 10. com. 7. n. 5. Nunc de ratione juris pauca delibabimus. Et siquidem stricto jure procedendum, nec institutus, nec ejus dominus, nec substitutus admitti posset ad hereditatem. Non institutus, quia nec tempore conditi testamenti, nec tempore mortis fuit cum ipso testamēti factio, ut requiritur in l. 49. §. 1. de her. Inst. Non dominus instituti, quia licet aliàs servus possit institui sub designatione domini, l. 31. d. t. tamē intelligendum est in eo casu, quo testator scivit, heredem institutum esse servum, tum enim ad dominum quoq; respexisse, eumq; per servum instituisse credendus est d. l. 40. & l. 7. de acquir. her. cum sciret servum hereditatem sibi non acquisitum, l. 79. d. t. At in hoc casu nescivit. Non etiam substitutus admitteretur, quia ex jam dictis patet, quod testamentum omninò non subsisteret, non ex persona servi, quia ille per se nō est capax hereditatis, quod tamen requiritur, ut consistat institutio, tempore testamenti facti, l. 49. §. 1. de her. inst. Non etiam ex persona domini, quia cum testator putaret heredem institutum esse liberum, utiq; de domino cogitasse nō videtur, liber enim est, qui dominum non habet. Testator igitur erravit in persona heredis, l. 98. §. si. de solut. & quodammodò in corpore, & sic servus non est heres, quia voluntate deficitur, liberum enim voluit testator, nec dominus, quia scriptus non est, l. 9. pr. de her. inst. Ex quibus sponte sua sequitur, quod nec

substitutus admitti possit: nam substitutio, quæ est pars principalium tabularum l. pen. test. quemadm. aper. institutione irrita non subsistit l. 1. §. ult. de V. & P. S. aut si institutio valet ne sic quidem admittitur, l. 96. de acquir. her. Sed cum in conditionibus (qualis est, si heres non erit) primum locum voluntas defuncti obtineat l. 19. pr. de condit. & dem. (ex hac enim vires sortiuntur ea quæ in testamento scripta sunt l. 12. in f. de leg. 1.) ex verbis ambiguis hic oritur voluntatis questio l. 25. in f. de leg. 3. Etenim si verba hæc: si heres non erit, strictè accipias, videntur tantùm respicere ipsam personam individui instituti, si laxius, possunt & ad dominum referri; sed, quomodo testator ea intellexerit, non certò constat l. 69. pr. d. t. In bivio igitur constitutus Tiberius & jure scripto destitutus, æquitatè & interpretationem, quæ pro conservanda ultima voluntate faceret l. 12. de R. J. l. 5. test. quemadm. aper. consulendam l. 2. §. 5. in f. de aq. plu. arc. & medium uti optimum observandũ putavit. Nov. 105. pr. elegit. l. 3. Si pars her. itaq; divisit hereditatem, ut quasi testator ad dominum servi futurũ, licet nũc esset, respexisset l. 11. pr. de condit. & dem. & simul cũ eo substitutũ ad hereditatẽ vocasset æquis portionibus. Qua æquitatis observãtia, nec volũtas defuncti violatur, nec substitutus leditur, cui aliàs vel tota hereditas vel nihil deberetur. Cũ igitur hac æquitatis & stricti Juris interpretatione, quæ penes solũ principẽ est l. 1. C. de Ll. Tiberius legẽ constituerit (quid n. interest verbis, an factò voluntatẽ expresserit? l. 32. §. 1. ff. d. t.) reliqui J. Ct. meritò eã quasi constitutionẽ Principis observaverũt l. 1. de const. princ. in primis cum mediã sententiã etiam in fideicommissò admiserint l. 57. §. 1. ad Sc. Treb. eamq; Cælius in l. 7. §. 1. de A. R. D. & Justinianus in §. cum ex aliena. J. de D. R. approbaverint. Diss. Hortens. ad d. §. fin. J. de vulg. subst.

QUÆ-

An filiofam. hereditatem repudiante Pater præferatur substituto?

E Legās quæstio, Ἐπισημῶν digna, in cuius negativa acquiescere nos posse ob subsequētia putamus. I. Quādo filiusf. heres instituitur, tū conditio hæc: si heres nō erit, id ēt involvit, si nec aliū heredē fecerit, l. 40. de her. inst. §. ult. Inst. de vulg. subst. Sed si filiusf. repudiat hereditatē, nec ipse est heres, nec alium facit heredē. Ergo jã conditio deficit, Ἐ per consequēs substitutus admitti debet, l. 69. pr. de acquir. her. Quod verò ipse non sit heres, notorium est l. 13. pr. d. t. Quod patrem non faciat heredem facili negotio probabimus, aut herbam victoriæ dabimus. Si filiusf. patrem facit heredem, tum illud fit aut vi institutionis, aut repudiationis, aut aditionis. Sed non vi institutionis l. 8. §. 1. de V. Ἐ P. S. quæ lex licet loquatur de filiof. substituto, nihil tamen impedit, quò minus eū ad propositum nostrum applicemus. Quid n. aliud est substitutio, quàm secundi heredis institutio l. 43. §. 2. d. t. l. 20. §. ult. de condit. inst. vide Duar. ad d. t. c. 1. Petr. Gregor. lib. 42. Synt. c. 10. n. 3. Ἐ 4. si ergo pater filii substituti non venit ex iudicio defuncti, quomodo erit institutus? Non ēt vi repudiationis: Si enim servus repudiando non facit dominum heredem, l. 3. C. de her. inst. licet coactus adierit hereditatem, l. 6. §. fin. de acquir. her. multò magis sequitur, quod nec filiusf. patrem. Ratioconnexi est, quia servus ex designatione domini, non aliàs instituitur l. 31. de her. inst. ita ut nisi dominus sit capax hereditatis, institutio omni careat fulcro, l. 52. d. t. l. 55. §. 1. deleg. 2. l. 16. §. 11. l. 50. ad Sc. Trebe. filiusf. autem per se est capax hereditatis, l. 16. pr. ibi, vel sibi, qui testam. fac. poss. Relinquitur igitur, quod per aditionem demum pater fiat heres, l. 79. de acquir. her.

Hinc hereditas non aliter acquiritur patri, nisi filius adierit ejus jussu, §. 3. Inst. per quas pers. l. 25. §. 4. d. t. de A. H. Hinc quasi jus speciale recēsetur in l. 6. §. 5. eo. quod INTERDUM filius. & sine aditione acquirat patri hereditatem, cumq; heredem faciat. At ibi sermo est de suo herede, in quo aditio non est necessaria, l. 14. de suis & leg. Ergo si non est suus & necessarius heres, aliud dicendum erit: & per consequens, si filius. ipse nō adeat hereditatem, ad patrem nihil transmittet. l. 44. de condit. & dem. l. 151. de V. S. nec pater substitutum excludet l. 7. pr. de acquir. her. II. Si vinco vincentem te, multo magis te vinco, l. 14. §. 3. de divers. & temp. prescr. Sed substitutus vincit eum à quo pater vincitur. Ergo. Minor constat, quia substitutus facit, ut jus accrescendi non habeat locum inter coheredes, sed illis praefertur, l. 2. §. 8. de bon. poss. sec. tab. Qui tamen coheredes superant ipsum patrem, l. 2. C. ad Sc. Orfit. Adde Don. lib. 6. com. 24. Connan. 19. contr. 7. n. 3. Ant. Fab. Dec. 33. error. pragm. 7. n. 3. & seqq. Pet. Greg. 42. Syntag. c. 15. n. 3. Fach. 4. contr. c. 65. Dis. Duar. ad t. ff. de V. & P. S. c. 10. Coras. ad l. 5. C. eod. n. 21. Först. p. 1. disp. 13. tb. 3. Vasq. 1. de succes. prag. §. 5. n. 17.

QUÆSTIO VIII.

An existentia sui heredis confirmet tabulas pupillares?

Non esse sterile f.ctorum figmentum suitatem ex variis ejusdem fructibus & effectis cuiusvis in proclivi est colligere, idq; vel inde sufficienter patet, quod facit ut filius am. inscii patri defuncto existant heredes, l. 7. §. 1. de acquir. her. §. 2. f. de her. qual. & diff. unde etiam creditoribus hereditariis invitati obligantur, l. 12. qui test. fac. poss. Sed hoc jus aliquo modo mitigatum est beneficio pratoris, eo casu, quo hereditas non est solvendo, tum enim ut filiorum pudori & fame potius

parca-

parcatur, quàm patris defuncti, l. 28. de Reb. auth. jud. pos. datur ipsis Jus abstentionis l. 11. de acquir. her. l. 1. §. 2. si quis emis. caus. test. §. 2. Inst. supra d. t. An autem hæc abstentio faciat, ut substitutio pupillaris exspiret, questionis est? Nos eam per existentiam Sui confirmari, minimeq; per abstentionem labi existimamus. I. Quicquid in favorem pupillorum introductum est, non debet in eorum odium converti, l. 6. pr. C. und. vi. l. 8. de stipul. prator. c. qualiter. 17. extr. de accus. Quis verò nescit beneficium abstentionis prætorem invenisse propterea ut ipsos pupillos liberaret ab oneribus hereditariis non sponte susceptis, l. 12. de V. S. l. 8. de acquir. her. S. eorum famam tueretur d. l. 28. de reb. auth. jud. Quod ipsum jam convertere in illorum injuriam, si concideret substitutio pupillaris, que tamen vel ob id maximè contra juris rationem inventa est, vide Hortens. ad tit. J. de pupil. subst. ut non decedant intestati, qui sibi per ætatem testamentum condere nequeunt per prin. Inst. de vulg. subst. interest enim defunctorum, ut habeant successorem l. 6. pr. de interrog. per quem etiam post mortem represententur S. quasi immortales reddantur. Nov. 48 pr. l. 34. de Jud. l. 24. de V. S. S. sic etiam pupillorum utilitatem respicit, l. 42. pr. de acquir. her. II. Quia quemadmodum prætor non facit heredem, S. 1. J. de bon. poss. ita è contrario non efficit, ut qui semel fuit heres, desint heres esse, l. 1. §. 7. Si quis omis. caus. test. Quò pertinet regula generalis in l. 7. §. 10. de minor. l. 88. de her. inst. proposita. III. Quia hæc ipsa existentia alios etiam habet effectus, ut quod libertas relicta debetur, l. 32. de man. test. l. 30. §. 10. de fid. lib. quod tamè fieri non posset si de jure Pandectarum, testamentum non valeret, l. 8. §. pen. de inoff. test. l. 17. de injust. rupt. neq; etiam de jure codicis, l. 1. C. de fid. lib. licet ex Novellis aliud jã dicendū Nov. 115. c. 3. in f. Sic

substitutus, licet filius sese abstiuerit, nihilominus tenetur oneribus hereditariis d. l. 28. de reb. aut b. Jud. poss. imo ipsi etiã sui heredes post abstentionem jure CIVILI tenentur l. 57. de acquir. her. licet non pratorio, d. l. 12. de V. & P. S. hereditatem fideicommissariam etiam abstinentes restituere & actiones cedere debent, l. 27. §. ad Sc. Trebel. Et quæ sunt similia, de quibus in presentiarum fusius non licet. Adeatur Fr. Hotom. 9. obs. c. 10. Don. 6. com. c. 25. Duar. ad tit. de V. & P. S. c. 14. Vult. in pr. t. J. de Vulg. subst. n. 9 & 10. Dn. Arum. exerc. 8. tb. 17. Förster. part. 1. disp. 13. tb. 9. Andr. Gerb. Dec. 9. tb. 3. Diss. Ant. Fab. 2. conject. 2. & Dec. 32. error. pragm. 1. & seqq. Vigl. in §. 1. J. d. t. n. 25

QUÆSTIO IX.

Quomodo intelligendum sit, principem legibus esse solutum?

Quamquam de principali judicio non oportet disputare l. 3 C. de crim. sacrileg. tamen id nobis vitio versum iri nõ speramus, si paucula quæ pro auctoritate Imperatoria militant, attulerimus, ut enim salus principis, est salus subditorum l. 1. C. de veteran. ita & auctoritas. Propositum Ζήτημα quod attinet sciendum est, eum legibus divinis non esse solutum c. nõ licet. dist. 10. c. quæ contra dist. 8. nec naturalibus, quia jure nature oēs homines sunt æquales, l. 4. de J. & J. ita ut nec rex, nec regna, nec subditi esse, possint, l. 5. eod. nec Jurisgentium, quæ oēs homines ex æquo obligant l. 1. in f. l. 1. 2. & l. 9. d. t. Sed civilibus tantum, id quod probamus textibus & rationibus. Textus sunt in l. 31. de Ll. l. 23. de leg. 3. l. 3. C. de testam. §. fin. Inst. quib. mod. testam. infir. Rationes sunt. I. quia Imperator à nemine potest cogi Nov. 23. c. 2. 2. est supra leges, & lex animata hominib. à Deo data Nov. 105. c. 2. in f. 3. potest aliquid

contra

contra utilitatem publicam concedere, l. 2. §. 16. ne quid in loc. publ. 4. imperfectum perficere & confirmare, l. 38. de adopt. l. 2. de reb. cor. l. 57. de rit. nupt. qui sub tutela. 5. infamiam & poenam remittit l. 1. de sent. pass. cum tamē delictorum poenas esse oporteat, l. 51. ad l. Aquil. l. 31. depos. 6. potest veteranis alienos agros assignare l. 11. de evict. l. 15. §. 2. de R. V. 7. Servos privatorum manumittit l. 2. C. pro quib. caus. servi pro prem. 8. solus legē condit l. ult. §. 1. C. de Ll. l. 2. §. 21. in f. C. de V. t. E. abrogat Nov. 7. c. 2. pr. & inter aequitatem & jus strictū interpretationē habet l. 1. C. d. t. de Ll. 9. Hinc dicitur mundi dōminus l. 9. de l. Rhod. de jact. & omnia in manu sua habere, l. fi. C. de quadrienn. præscr. 10. hinc Imperatoria proæ, Inst. imperialis l. 12. C. de Ll. & principalis majestas l. pen. de her. inst. divina indulgentia, l. 3. de constit. princ. cœleste oraculum l. 10. C. de S. S. Eccle. divinum os, l. 1 §. 6. C. de V. 7. E. & alia epitheta splendidissima, nil aliud volunt, quā ut Imp. à legum nexu liberum pronūcient. Quæ libertas tamen ne in tyrānidem degeneret, etiam atq; etiam videndum c. ult. 2. q. 1. Boni igitur Principes licet legibus sese solutos norint, tamen legibus vivere student. Vide hac de re variè statuentes, Coras. 2. misc. c. ult. Cujac 15. obs. c. 30. Anton. Fab in 7 p tit 2 pr. 8. illat. 2. Trent. vol 1 disp. 1 th. 6. lit. B. Arnif. lib. 1. de jure majest. c. 3. Baurmeister de Jurisdic. lib. 1. c. 19. n. 7. Gothof ad Nov. l. 5. c. 2. §. fi. & in l. 23. de Leg. 3. Schönborn. lib. 2. pol. c. 5. Bronch. cent. 1. aff. 11. Förster. part. 1. disp. 13. th. 18. Hænon. disp. 1. th. 17.

QUÆSTIO X.

An Spurio herede instituto fratri competat querela inofficiosa?

Querela inofficiosa, contra ultimas defunctorum voluntates introducta, & miro colore induta, nō datur omnibus,

nec

nec semper l 1 de inoff. test. l. 21. C. eod. fratribus sanè tum de-
 mum, quando turpis persona est instituta, §. 1. Inst. & l. 27. C.
 d. t. An ergò etiã quando Spurius est institutus? Non putamus
 quia hic turpitudine nulla laborat. I. Omnis infamia aut tur-
 pitudo Juris oritur ex delicto NOSTRO, l. pen. §. 1. de extraord.
 cogn. At turpitudine Spuriorum, si qua esset, non oriretur ex de-
 licto proprio, sed alieno & parentum. E. non est infamia ju-
 ris, & per consequens non debent Spurii pati pœnam nomine pa-
 rentum. & ab hereditate repelli, l. 21. C. de pœn. l. 28. ff. eod. l. 7.
 pr. de bon. damnat. II. Quicumq; est infamis, à Decurionatu
 removetur, & contra, qui ad eundem admittitur, pro infami
 non habetur, l. 3. C. ex qui. caus. inf. Spurius autem admit-
 titur, l. 3. §. 2. de Decur. atq; sic dignitas non impeditur ei, qui
 nihil admisit, l. 6. pr. d. t. cuius tamen portæ non patent infami-
 bus, l. 3. C. de dignit. III. Quia nec infamia facti eos labo-
 rare videtur probari posse hac ratione: Infamia facti est ea,
 quæ non oritur ex legis auctoritate, sed quæ ex re ipsa & opi-
 nione hominum profiscitur, l. 2. de obseq. par. & patr. prest.
 sed ex re quæ dilectum imitatur, At Spurius omninò est incul-
 pabilis, Nov. 12. pr. modò re & vita sit honesta, d. l. 3. §. 2. de
 Decur. Hartm. Pistor. lib. 1. q. 30. n. 26. Palast. de notb. c. 55. n. 5.
 Fach. lib. 4. contr. c. 93. Dn. Arum. exerc. 11. th. 9. Hæno. disp.
 9. th. 8. Diss. Plutar. de educat. lib. Enucl. Don.
 lib. 6. com. c. 15. lit. b. Sed receptui
 canimus.



00 A 6440


ULB Halle 3
002 937 344



VD17

Reho ✓





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

27e

ARUM
CARUM
S V.

M.
M. A.
CONSENSU
orum Ordini-
iã Salanã,
DE
HÖTERO,
MARCHICO,
ONABITUR
YMUS J M H D S S
GENSIS.
vembr.
Æ
IS WEIDNERI.
RISTI

